... phi-
losophi.
Calissii. 1702.

~~Literat 481.~~

AD VIRUM NOBILEM DE CULTU CONFUCII PHILOSOPHI, ET PROGENITORUM, APUD SINAS,

Cum facultate Superiorum.

IHS

Primùm DILINGÆ impressum, *Anno MDCC.*

Tum reimpressum CALISSII *Anno MDCCII.*

AD NOBILEM VIRUM.

De cultu Confucii Philosophi, & Progenitorum, apud Sinas.

QUanta sit gravitas causæ, quæ nunc Romæ examinatur, circà cultum Confucii, & Progenitorum, apud Sinas? quæ sit in ea tuenda Jesuitarum intentio? quâ conditione pugnent ex utraque parte contendentes? an sit Confucius Idolum in China? an sint Progenitores Idola? (enim verò id necesse est, ut illorum cultus dici possit Idololatricus) quæris à me, Vir Nobilissime. Paucis respondeo, quæ nuper legebam in Apologia edenda brevi in lucem, ut ajunt, pro vindicando, de Sinensium ritibus Alexandri VII. de-

creto, quod à 50. ferè annis fuit instar regulæ, quam Missionarij Sinenses è Societate JESU, reverenter secuti sunt, & tutò sequi se posse, firmissimè tenuerunt.

1. Igitur in eo consistit hujusce causæ pondus & gravitas, quòd agitur nihil minùs, quàm de interitu, vel propagatione fidei Christianæ in vasto Sinarum Jmperio. Conveniunt enim ex utraq; parte, qui pro Sinensium ritibus, vel contra illos, disputant, Esse in maximo periculo rem in China Christianam, si resciſſo Alexandri VII. Decreto, cæremoniæ, quas permiserat, Regni legibus constitutæ, prohibentur: certò aliunde constat, opportunum jam esse tempus prædicandi Sinis Evangelij, post Imperatoris Edictum, si Decreto illo stante, nihil novi circà ritus jam permissos constituitur. Nôrunt quidem, & tanquàm fide certum docent Societatis Missionarij, *non esse facienda mala, ut eveniant bona*: ideòque ne veniali quidem peccato emendam esse salutem omnium hominum, multò minus superstitiosis aut idololatricis ritibûs. Unde juxta Reverendissimum ipsum D. Maigrot ritus controversos ij non permittunt, nisi quia *magis consonum veritati* putant, *illos esse politicos, & civiles*. Sed constare quoque debet, esse gravissimè peccaturos contra charitatem DEI & proximi, contra præceptum prædicandi Gentibus

tibus Evangelij, quicumque per prohibitionem rituum, qui possent innocenter tolerari, clauderent januam salutis & fidei innumeris planè hominibus. Gravissima est igitur causa, quæ tractatur: nam si periculum aliquod hinc apparet permittendi ritus superstitiosos; est quoque aliundè periculum ingens gravissimè contra Legem divinam peccandi, prohibendo ritus innocentes.

2. In tam gravi causa declarant Jesuitæ Europæi, se nihil aliud intendere, quàm ut detegatur veritas. Si enim post accuratam causæ inquisitionem, decreto aliquo novo definire placeat Summo Pontifici, ritus Alexandri VII. Decreto permissos, deinceps esse prohibendos, ut superstitione, vel Idololatria imbutos; palàm testantur Jesuitæ Europæi, quòd spondere quoque possunt pro Jesuitis Sinensibus, se absque ulla tergiversatione, imò sponte & alacriter, novo huic Decreto parituros, quidquid inde toti Sinarum Christianitati possit contingere. Unde quæ proferunt, aut hactenùs produxêre, ad probandum ritus illos esse politicos, idcircò solùm proferunt, ut examinatis ab Apostolica Sede utriusque partis rationibus, securiùs ipsa definire possit, quid licitum, quid illicitum, quid permittendum, quid prohibendum.

3. Etsi hanc Jesuitarum mentem contestari

testari omninò possum, non debeo dissimulare, quod Apostolicæ Sedi notum inprimis esse oportet, Non esse parem in hac gravissima causa Missionariorum Societatis, & eorum, qui contrà sentiunt, conditionem; nam qui contrà ritus Sinenses disputant, venerunt è China parati atque armati mandatis, tractatibus, Epistolis, subscriptionibus, testimoniis, quæ favent suæ parti; dum interea omnium ignari Sinenses Missionarij è Societate tranquillè vivunt in China, nihil solliciti de sua causa, quã Romæ agitari, multò minùs periclitari, prorsus ignorant.

Quod si scirent, colligerent procul dubio innumera testimonia, subscriptiones, epistolas, non solùm à doctis Christianis, plurimisque Missionariis, nec non à Vicariis Apostolicis, & Episcopis; sed etiam à Paganis nobilibus, Mandarinis, & forsitan ab ipso Imperatore, idoneis planè testibus suæ fidei & Religionis.

4. His testimoniis constaret, uti certò confidunt Jesuitæ, Confucium coli tantùm in China ut Imperii Magistrum ob doctrinam ab illo acceptam; ob vitam Progenitores mortuos; nihil omninò Numinis ex communi Sinarum persuasione in illis agnosci; nihil juxta Leges sperari ab illis, nihil postulari; contra Leges hos facere, qui secùs faciunt;

ritus

ritus ac cæremonias, quibus hi coluntur, esse solùm politicas ac civiles: nihil prohibere, quin tales sint, etsi coràm illorum tabella, cerei accenduntur, incenduntur odores, offeruntur animalia &c. cùm eosdem ritus constet sæpè adhiberi ad colendos Mandarinos, dum in Provincias adveniunt, mensas nimirum ante illorum fores apparari, incendi odores, cereos accendi, offerri animalia, capras, sues &c. his donis pro more reverentiam adhiberi; hæc etiam, & probata quidem priùs, præsentibus Mandarinis occidi &c.

5. Adderent è Societate Missionarij & alii plures; & interposito, si placeret, juramento affirmarent, à se nunquam fuisse permissas Neophytis duas illas solemnitates, quæ singulis annis fiunt in honorem Confucij; in ritibus erga Progenitores mortuos semper præcepisse suis Christianis, ut juxta Decretum Alexandri Papæ superstitiosos omitterent; ac si forte superstitiosa coram ipsis tunc agerent Infideles, in hoc casu, facta fidei professione, palam contrà Christiani protestarentur, ut idem mandat Decretum.

6. Porrò adeò sensit R. ipse D. Maigrot justam habituros causam Jesuitas postulandi humillimè ab Apostolica Sede, sibi ut liceret pro plena gravissimi negotii informatione, accersere è China unum aut alterum è

suis Missionariis, ut ipsemet testetur se *paratum esse cũ socio Romam petere* : (a) si modò jubeat Sancta Sedes, hos non priùs ex eadem China proficisci, quàm Patres Societatis ad tuendam Romæ suam causam destinati è China discesserint. Quin etiam addit *unum in tanti momenti negotio non sufficere, ac proinde indigere se socio* : Indigeret ergo quoque Societas Sinensis, ad justam sui defensionem, & ad pleniorem rei tam gravis instructionem, deputare Romam duos ex suis, cum necessariis atque authenticis instrumentis.

7. Atqui toti Eurpæ notum est, non solùm venisse ante duos annos è China D. Nicolaum Charmot, missum à Reverendissimo pro tuendis suis contra Missionarios Jesuitas partibus, sed etiam ante sex menses adhuc Romam appulisse R. D. à Leonissa pro tuendo Rev: Dom: Maigrot mandato, quod in China adhuc existens jam commendaverat ; ut patet ex duabus ejusdem Rev: Dom: à Leonissa litteris Sacræ Congregationi Anno 1697. oblatis. Habet ergo Dominus Maigrot, quod postulaverat, duos Romæ è China reduces pro se suisque opinionibus stantes : nullum habent Jesuitæ, nec habere potuerunt è China Missionarium pro sua praxi sententiàque agentem.

Dico nullum hos habere potuisse : nã ita nego-

(a) *Hist: cult: Sin: Pag: 400. 401.*

ita negotium istud Romæ promotum est ab Adversariis Jesuitarum, ut visum ferè semper fuerit, instare judicium istius causæ, ac proinde semper desperârint de habendo ad tam longum iter sufficienti tempore.

Sanè Patrem Bouvet à Sinarum Imperatore missum ante duos annos ad Regem Christianissimum, etsi aliquandiu comitatus est D. Nicolaus Charmot, tam cautè celavit, quæ contra Societatem Sinensem meditabatur, & cùm esset adhuc in China, & cùm eum comitaretur in via, ut Bonus ille Pater, litis gravissimæ apud Summum Pontificem intendandæ prorsus ignarus, è China exierit sine tractatibus, epistolis, testimoniis, instrumentis authenticis; sicque imparatus venerit in Europam, atque in Asiam huic causæ propè inutilis redierit.

Constat ergo parem non esse utriusque partis conditionem, cùm præter Rev. Patres Dominicanos, qui impressis etiam libris interveniunt, duos habeat Romæ Procuratores aut Advocatos è China Reverendissimus: ne unum quidem Jesuitæ. (a) *Vnus tamen*, inquit ille, *non sufficit in negotio tanti momenti.* Hæc autem sunt toti Europæ manifesta.

8. Si ergo placeret Sanctæ Sedi hoc

 Jesuitis

(a) *Ibidem.*

Jesuitis concedere, quod ne Adversarius quidem illorum putavit eis negandum, nempè ut unum aut alterum èx suis Romam accerserent è China benè instructos pro plena tanti negotij informatione, retardaret quidem aliquandiu judicium hæc concessio, sed id incommodi, si quod est, compensaret abundè omnimoda hujus causæ instructio, ad ferendam non provisionalem tantùm, ut vocant, sed absolutam de ritibus illis sententiam, quam nullus Vicariorum Apostolicorum, exemplo D. Maigrot, reformare auderet, sub prætextu sive malæ sive non sufficientis informationis. Talis enim sententia Sinenses inter se Missionarios æternùm conciliaret, ac dirigeret.

9. Quòd si propter causas nobis prorsus incognitas aliter sentiat Sancta Sedes, jubeatque Jesuitas Europæos suorum in China non auditorum partes Romæ defendere, parebunt enim verò; & quia tota Europa conqueritur nihil ab ipsis prodire in publicum pro tuendis suis partibus, cùm è contrario illorum Adversarij libros edant, mandentque typis publicis etiam ea, quæ Sacræ Congregationi in hac causa Romæ oblata sunt, audio tandem Jesuitas pro suis in China Missionariis instituere Apologiam multiplicem.

Hæc, quam legi, continet 1. Alexandri VII. Decretum de ritibus Sinensium permittendis

tendis. 2. Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot pro decreto illo Papæ reformando. 3. Observationes in idem Mandatum à Domini Nicolai Charmot notis atque dispunctionibus vindicatas. 4. Accuratam expositionem facti seu rituum, juxta mentem & testimonia Sinensium, non è Societate solùm, sed ex aliis etiam Sacris Ordinibus Missionariorum, qui steterunt pro ceremoniis erga Confucium, & Progenitores, politicis, & civilibus.

Ex his jam abundè nosti, Vir Nobilissime, gravissimam esse hanc causam, quod primum interrogaveras. In ea tuenda nihil intendere aliud Jesuitas, quàm ut detegatur quid fugiendum; non minus paratos ad obediendum Innocentij XII. Decreto, si cœremonias illas repudiet, quàm fuere hactenus religiosi ad observandum Alexandri VII. Decretum, quo, utraque parte audita, statuerat illas permittendas. Hoc secundùm. Quod autem tertio loco proponebas, planè quoque intellexisti, non pugnare pari conditione pro ritibus illis Jesuitas Sinenses, ac contra eosdem ritus illorum Adversarios.

Etsi enim Europæi Jesuitæ habere putant, unde suos in China Missionarios tueantur, inter illos tamen certò constat, fore adhuc longè meliorem suæ causæ conditionem,

nem, ſi quemadmodum è China duo venerunt pro Reverendiſſimo Domino Maigrot benè parati ad pugnandum contra ritus Sinenſium, ſic etiam veniſſent duo è Societate moniti priùs, paratique, ad tuendum Alexandri VII. Decretum. Literis enim literas, teſtimoniis opponerent teſtimonia, & ſubſcriptiones ſubſcriptionibus, & quidem longè plures, atque magis authenticas.

Quod ſpectat ad 4. nempè, An ſit Confucius Idolum in China? an ſint Progenitores Idola? Eſt hæc in Apologia præliminaris quæſtio, quam refero iiſdem verbis, quibus ibi proponitur & ſolvitur.

AN

AN COLANT IN CHINA Litterati Confucium Philosophum ut Deum, & Progenitores ut Numina?

QUi prohibent ritus Sinenses, ideò prohibent, quia putant idololatricos esse: ac proindè supponere debent Confucium esse Idolum, & haberi Numen in China; Progenitores mortuos esse Idola, & haberi à Sinensibus Numina: si enim neque Confucius, nec Progenitores mortui sunt Idola, ritus, quibus hi coluntur, non sunt idololatrici.

Et verò, fuerunt toti in hoc per Europam divulgando, toti in eo Romæ probando, tum ratione, tum authoritate, Jesuitarum Adversarij.

Ratione quidem; quia, inquiunt, vera illi Templa eriguntur, offeruntur vera Sacrificia, & in altaribus propriè dictis.

Si ita est, ut ipsi narrant, dubitari omninò non potest, quin Sinæ agnoscant aliquid Numinis in Confucio, Numinis aliquid in Majoribus. Probat istud magnificè Autor

Apologiæ Dominicanorum Sinensium; *Frustra, inquit nobis obijciunt, qui pro Jesuitis conscripsêre Apologias,* (a) *non agnosci Confucium in China ut Deum . . . . . . Nunquid enim eo ipso Deus agnoscitur, quòd ei sacrificatur? . . . .* Rursùm id autoritate Augustini probat. *Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit?* (b)

Si ergo sacrificium ex natura sua sit oblatio facta ei, qui putatur, vel fingitur esse Deus, ad hunc venerandum, vel ut vitæ necisque Dominum, vel ut primum principium in aliquo saltem genere: sique aliundè veris coluntur Confucius, Majoresque in China sacrificiis, necesse est hos haberi in China Deos, atque ritus, quibus honorantur, esse verè idololatricos.

Quod probasse ratione se putant, probant & autoritate, levi illa quidem in se, sed apud Dominum Charmot non levis ponderis. Sic enim in Memoriali, quod est dictum, Veritas facti, apud Eminentissimos Cardinales concludebat. *Quid potest,* inquit, *expressius desiderari, ut constet Confucium tanquàm aliquod numen à Sinis coli?* Ita Dominus Char-

(a) *Apolog: Dominicanorum. Pag: 38.*
(b) *Lib: 1. de Civit: Dei cap: 4.*

Charmot in historia cultûs Sinensis, paginâ 488.

Hinc factum est, ut ubique clamitarent contra idololatriam Christianorum Sinarum, & terrerent totam Europam suis clamoribus. Hinc ad Summum Pontificem scribens Reverendissimus, *dubitari*, inquit, *meritò potest, an, qui sunt in China Christiani, ijdem ferè omnes non sint & Idololatræ?* (a)

Sed mox constabit affirmare hoc immeritò Reverendissimum; malè discurrere Apologistam; stare contra illos & contra seipsum Dominum Charmot; & non nisi chimericam esse Christianorum Sinarum Idololatriam.

Missionarij è Societate, qui permittunt ritus Sinenses, illos ideo permittunt, quòd prudenter judicare se putent, esse tantùm p liticos & civiles; atque negant quidem & pernegant esse idololatricos.

Ratio palmaris est, quòd certò constet, in China Numen non haberi Confucium; multò minus Progenitores mortuos unde quoque constabit, eos non coli, nec veris Sacrificiis, nec in veris Templis, nec in altaribus propriè dictis.

Quòd autem constet Idolum non esse apud Sinas Confucium, enim verò id demonstratum

(a) *Pag: 403. Hist: cult: Sin:*

ſtratum eſt, tum in obſervationibus contra Reverendiſſimi Mandatum Sacræ Congregationi exhibitis, tum in Libello ſupplici Suæ Sanctitati oblato. & ſic demonſtratum, ut ipſe Dominus Charmot, jam annuat, & canat in eo palinodiam.

Quia tamen ſummi eſt momenti in hac graviſſima cauſa, ut ſit manifeſtum in tota Europa, & præſertim Romæ, Confucium non coli in Sinis ut Deum, multò minus Progenitores mortuos, paucis hîc repeto, quod pluribus ibi fuit demonſtratum.

1. *In Regno Sinæ,* (a) inquit P. Joannes de Paz, ex Ordine S. Dominici, *non attribuitur Confucio Divinitas aut poteſtas aliqua ſuperior, communi hominum ibi inhabitantium exiſtimatione. Hoc mihi conſtat ex variis relationibus Religioſorum noſtri Ordinis in Regno Sinæ aſsiſtentium. Inprimis referunt, quòd Chriſtianos facientes proteſtationem coram Gentibus, quòd non credunt in Confucio divinitatem aut poteſtatem aliquam, ſed illum præcisé venerantur ut Magiſtrum, audiunt Gentiles ſine indignatione. Si in Regno Sinæ communiter exiſtimaretur, Confucium habere divinitatem, aut poteſtatem humanâ ſuperiorem, ad eis auxiliandum, abſque dubio Gentilium perturbatio oriretur ex eo, quòd in publico*

(a) *In Reſp: ad quæſitum 20. fol: 198.*

publico hujusmodi potestas, vel divinitas denegaretur Confucio; sicut contigit Ephesi: (b) cùm enim audissent Gentiles Divi Pauli doctrinam negantis esse veros Deos, quos venerabantur, tota Civitas irâ, ac indignatione ferbuit. Repleti sunt irâ, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

Hæc ratio, inquit adhuc, *efficacior redditur, si attendatur, quòd Sinæ Christiani regulariter non audent negare Confucio reverentiam, quæ ei tanquàm Mágistro exhibetur; timent murmurationem, & indignationem Gentium, & ne forsan ob hanc causam eis gradus denegetur; & non timent ei denegare divinitatem, omnemque potestatem ad auxiliandum eis.*

Hæc enim ratio urgenter probat, quòd in Regno Sinarum, vel lege Regni, vel generali acceptione, exhibetur Confucio Reverentia tanquam Magistro, quam omittere nequeunt absq; gravi nota animi ingrati, ac inobedientis legibus Regni: & similiter ostendit, quód nec communi acceptione, nec lege Regni datur Confucio cultus Religiosus; neque Divinitas, neque potestas aliqua ei tribuitur.

Deinde referunt nostri Religiosi, in prædicto Sinæ Regno habitantes, quòd, cùm quidam Christianus coram pluribus Infidelibus protestatio-

(b) *Actor:* 19.

protestationem fecisset, se reverentiam exhibere Confucio praecisè ut Magistro, nullam agnoscere in eo divinitatem, aut potestatem; Infideles protestatione Christiani ad risum excitati dixerunt: Forsan aliquis nostrûm Deum existimat Confucium, aut in eo potestatem hominibus auxiliandi fatetur? homo fuit similis nobis, & illum ut Magistrum veneramur ob excellentem doctrinam nobis ab eo relictam.....

Hinc colligitur, quòd Confucius non est communiter ut Deus in Regno Sinae acceptatus, neque ei potestas aliqua attribuitur; si quidem illi, ad quos pertinet eum venerari, in eo non agnoscunt divinitatem, aut aliquam potestatem. Ita Pater Joannes de Paz in responsis suis Manilae editis anno 1680. & à Doctore D. Francisco Pizarro de Orellana, Archidiacono, atque Vicario Generali Archiepiscopatûs Manilensis examinatis, & summè laudatis, qui testatur se de mandato Archiepiscopi Manilensis Philippi Pardo Dominicani hoc opusculum legisse.

Imò sub finem additur, impressum fuisse hoc opus cum licentia ejusdem Archiepiscopi, atque Rev: P. Fr: Baltasaris de Sancta Cruz, Commissarii S. Officii, & Provincialis.

Hi omnes procul dubio sentiebant idē de Confucio, atque responsorum Author. Ne-

que

que abs re erit hîc advertere, Archiepiscopum illum satis aliundè contrarium fuisse Jesuitis, ideòque in hoc opusculo approbando non id intendisse, ut illis faveret.

Porrò quantæ fuerit autoritatis apud suos idem Pater Joannes de Paz, dum viveret, & apud omnes alios, manifestè constat ex præliminari, seu, ut vocant, dedicatoria Epistolâ ad Reverendissi. P. Antonium de Monroy totius Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem. Sic enim ibi de illo habetur. (a) *Ipsum Ecclesiarum Capitula, Religiones, Communitates, tribunalia; infimæ, mediæ, supremæq; classis homines, in ambiguitatibus suis maximè ad mores pertinentibus, ducem eligunt Doctorem consulunt, oraculum venerantur .... Venerabiles ipsi Episcopi, Sedis Apostolicæ delegati. Provicariiique generales ...... consilium ejus exquirunt.*

Dubitari itaque non potest, quin testimonium illud multas ob causas sit pluribus æquivalens.

2. Idem affirmant (b) Gregorius Lopez ipse Sina, ipse Dominicanus, ipse Pekinensis Antistes, & antiquus Missionarius. (c) Idē

(a) *In Epist: Dedicat: pag: 12.*

(b) *In tractatu Sac: Congregationi oblato*

(c) *In tractatu Sacræ quoque Congregationi oblato.*

Domini

Dominicus à Sancto Petro. (d) Idem alij magno numero Dominicani.

3. Id testatur Emmanuel Diaz Jesuitarum Vice-Provincialis, responsum sibi fuisse ab eo, qui præerat oblationibus, dum interrogaretur, an Numen crederent ipsi Confucium esse, aut partem Numinis? *Putas-ne inquit, nos Sinas tam stolidos esse, qui plusquàm hominem eum credamus, quem scimus natum vixisse, & obiisse?* (a) Addens se ex gratitudine observare ritus illos erga Confucium, cui tam multa deberent ob doctrinam ab illo acceptam.

4. Id asserit Matthæus Riccius Missionis Sinicæ Fundator. *Nullam,* (b) inquit, *Sinæ in suis Majoribus partem Numinis agnoscunt; neque ab eis quidquam, aut petunt, aut sperant.* De Confucio postea. *Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quicquam petunt, aut sperant, ad eum modum, quo, de vita functis, jam est explicatum.*

5. Idem affirmant plures quàm 80. Missionarij è Societate, quorum alij 20. alij 30. 40. alij, & alij ferè 50. annos vixerunt in China.

Idem

(d) *Ibidem.*

(a) *Bartoli in sua China, pag: 75.*

(b) *In suis Commentariis à Trigautio editis, anno 1615. pag: 707. 108. lib: 10. cap: 10.*

Idem affirmabunt trecenta & ampliùs Christianorum millia, qui solitas Confucio reverentias adhibent pro more Patriæ, ad accipiendos gradus: quod præstare nefas ducerent, si Idolum esset Confucius.

6. Constat ex libris classicis, Confucium neque inter Spiritus, quos Litteratorum secta agnoscit, neque inter Bonziorum Idola, à Sinensibus referri.

Patet primum ex libro, quod dicitur Examen rituum; cùm agit de portis cancellatis, quæ in quibusdam Confucij aulis indebitè ponebantur, sic habet: *Adhibere autem in Confucij aula opus cancellatum, est tractare Confucium, ac si esset Spiritus, illumque cum cæli & terræ Spiritibus comparare: hoc verè ab Imperatoribus præscriptâ formâ valdè procul distat.*

Patet secundum ex Imperatoris Decreto, quod Anno Domini 1438. promulgatum est his verbis. *Imperator prohibet munera offerri Confucio in Fanis Idolorum, quæ Foè, & Lao Tan vocantur.* Confucius ergo, atque potiori jure alij Sinarum Sapientes, Progenitoresque mortui, nec inter Spiritus coluntur à Sinis, nec inter Idola. Unde sic loquitur Gabianus antiquus Missionarius. *Si quis in Sinis nomine Numinis, aut Idoli Confucium, vel tantùm interrogando appellet, non*

solùm

ſolùm irrideri, ſed cum ſtomacho explodi ſolet apud Litteratos, de quibus agimus, pro-ut quotidiana experientia nos docet: quidquid apud ignarum, & rude vulgus quandoque eveniat. cap: 4.

7. Reverendiſſimus D. Maigrot, qui vult Confucium eſſe Litteratorum Idolum, manifeſtè ſibi contradicit; cùm velit Litteratos omnes eſſe Atheos: (a) Athei autem Idola non habent: in hoc diſtinguuntur ab Idololatris.

His omnibus certò conſtat, Confucium non haberi à Sinis Numen, non haberi Progenitores Numina. Id verò ſic conſtat, ut convictus tandem ſuper hoc tam gravis momenti capite Dominus Charmot, in ſuis Libelli diſpunctionibus non modò id fateatur, ſed non parum excandeſcat, quòd Autor Libelli ſupplicis ad Papam affinxerit tam ipſi, quàm Domino Maigrot hunc ridiculum errorem, quaſi nimirum crederent, & ſpargerent coli Confucium in China ut Numen, Progenitoreſque ut Numina. Audiamus Dominum Charmot, in hiſt: cult: Sinenſ: pag: 296. *Rès falſas, & abſurdas,* inquit, *mihi ac Reverendiſſimo Domino Maigrot affingunt Patres Societatis, ut nobis inſultent, & tanquam proprio conſcientiæ judicio condemnatos traducant.*

(a) *Hiſt: cult: Sinn: pag: 354.*

cant. Nunquam diximus Confucium à Sinis Litteratis ut Deum, Majoresque ut Numina coli.

(a) Qui legerit textum antea citatum, clarè intelliget, dixisse Dominum Charmot in terminis, Confucium coli in China ut Numen; & toties id de Confucio, atque Majoribus affirmâsse, quoties veris eos coli affirmavit sacrificiis: ac proinde nihil ei falsum affinxisse Autorem Libelli.

Sed esto; sibi ipse contradixerit Dominus Charmot: istud est illorum fatum, qui falsa tuentur, nisi sibi ipsi continuò attendant.

Nunc temporis hoc plusquam satis est: falsum est, absurdum est ex Domino Charmot, affirmare Confucium à Sinis Litteratis ut Deum, Majoresque ut Numina coli. In hoc jam convenit cum Jesuitis Sinensibus; in quo etsi non conveniret, id aliàs est abundè demonstratum.

Sed quid inde concludunt Jesuitæ? Quod est in tam gravi causa decisivum, nempe Confucium & Progenitores non coli in China, nec veris Sacrificiis, nec in veris Templis, nec Altaribus propriè dictis. (a) *Quis enim sacrificandum censuit,* ut cum Augustino Apo-

(a) *Ibidem pag: 403.*

(a) *Apolog, Dominic: pag: 38.*

no Apologista Dominicanus ajebat, *nisi ei, quem Deum sciVit, aut putaVit, aut finxit?* Atqui Sinæ, etiam fatente Domino Charmot, neque sciunt, neque putant, neque fingunt Confucium esse Deum, Majores esse Numina. Ergo ijs non sacrificant: ergo ritus, quos adhibent pro more patriæ ad eos colendos, neque possunt, neque debent dici sacrificia utique propriè dicta: ergo nec eorum aulæ templa, neque mensæ altaria: ergo prædicti ritus non sunt idololatrici: ergo falsa sunt, absurda sunt, quæ per totam Europam sparguntur; quæ scribuntur ad Apostolicam Sedem de Idololatria Christianorum Sinensium: ergo malè Reverendissimus sub falso Idololatriæ prætextu, Alexandri VII. Decretum de ritibus Sinensium reformavit.

Sed instat Dominus Charmot. Ritus, quibus Christiani (a) colunt B. Virginem, Angelos, aut sanctos, etsi illos non venerentur ut Deos, non desinunt esse Religiosi. Ergo licet Confucius, & Majores non sunt apud Sinas Idola, inde concludi non debet ritus, & cœremonias ad eos colendos adhiberi in China solitas, non esse religiosas; si verò religiosæ sunt, erunt saltem superstitiosæ: ergo prohibendæ.

Respon-

(a) *Hist: cul: Sin: pag: 296. & alibi passim.*

Respondeo primò: Nos probâsse efficaciter ritus illos non esse idololatricos, cùm [co]nstet non esse Idola Confucium, & Pro[g]enitores; ac proindè non potuisse sine calu[m]nia Sinas Christianos per totam Europam [t]raduci, ut Idololatras.

Respondeo secundò: Cœremonias Sinen[s]es non esse Religiosas, ideòque nec superstiti[o]sas, saltem quoad substantiam; nam si per [a]ccidens ritibus ex se politicis superstitiosa [q]uædam immiscentur, hæc omittunt Christi[a]ni juxta Alexandri VII. Decretum, imò cùm [o]pus est, palàm contrà protestantur; unde [n]ullius superstitionis sunt rei.

Respondeo tertiò: B Virginem, Angelos, & Sanctos piè coli à Christianis ob gratiam sanctificantem, aliasque dotes supra naturam illis à Deo concessas: unde cultus ille religiosus est. Sed cùm Sinæ nihil supra naturam & hominem, in Confucio agnoscant, nec in Majoribus, illumque colant solùm ob doctrinam, hos ob vitam ab illis acceptam, cultus ille non est nisi politicus & civilis; non pertinet ergo ad Religionem, ideòque superstitiosus non est.

Respondeo 4. adeò non coli Confucium, & Progenitores à Sinis, ob propriè dictam sanctitatem, quam non cognoscunt, ut licèt virtutes illorum morales possint esse cultûs ci-

vilis objectum, ad has præcipuè in illis colendis non attendant: probos enim & improbos venerantur iisdem ritibus, quos instituerunt Philosophi, & Imperatores ad bonum publicum præscripserunt. Imò sapientiam, seu doctrinam colunt in Confucio magis, quàm probitatem; ut infrà suo loco probabitur; neque negant inter suos Sapientes, quos nimirùm venerantur, aliquos fuisse valdè improbos.

Respondeo 5. In istiusmodi oblationibus nihil juxta leges, & libros classicos, vel à Confucio, vel à Majoribus, neque peti, neque sperari; inde patet, nihil in illis supra naturam, Sinas agnoscere.

Id demonstrant textus, qui sequuntur ex libro *Liki* de oblationibus, quæ fiunt primò Spiritui, seu *Xamti*, vel reliquis Tutelaribus; sic habet. *In oblationibus illis imploratur auxilium, referuntur gratiæ, deprecantur calamitates.*

De oblationibus verò mortuorum sic loquitur. *In oblationibus, quæ fiunt pro Defunctis, nihil ab illis rogatur.*

Item. *Finis illarum oblationum est, continuare amorem erga parentes, & benefactores; procurantes hisce oblationibus supplere defectus commissos in sustentatione, & obedientia erga defunctos suos.* Nil est in isto fine, nisi politicum & humanum.

Rursùm: *Nihil ab illis petitur, sed nec est voluntas felicitatem aliquam petendi.* Sunt plurimi hujusmodi textus. Illos autem esse genuinos, ne Adversarii quidem negant: Id unum reponit Dominus Charmot (a) *de prima rituum institutione hos esse intelligendos*: sed perseverasse hactenus hunc usum, nihil nec à Confucio, nec à Majoribus postulandi, satis probant, quæ narrat Riccius, quæ Martinius, quæ Brancatus, Intorcetta, Faber, imò quæ Reverendissimus à Leonissa respondet, de precibus nonnullis, quæ privata solùm, non publica autoritate, in aliquos libros irrepserunt.

Unde P. Matthæus Riccius ante centum annos jam sic loquebatur. *Et quoniam in Majoribus nullam Numinis partem agnoscunt, nec ab iis quidquam aut petunt, aut sperant, id videtur ab omni sacrilegi cultûs scelere alienum.* Item de Confucio. *Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quidquam petunt, aut sperant.*

Respondeo 6. manifestè hinc patere, nihil supra hominem, supra naturam, à *Sinis* agnosci, nec in Confucio, nec in Majoribus, juxta communem Litteratorum persuasionem ac fidem. Nam quòd privati aliqui ex errore, vel ex malitia aliter sentiant & agant, sua illis superstitio imputetur: at nocere non potest

(a) *Hist. Sinens. p. 120.*

aliis, neque inficere ritus alioqui innocentes, atque Imperii legibus constitutos; sicut cultum sacrarum apud nos Imaginum non inficit error, & superstitio Christianorum rudium, qui aliter sanè eas venerantur, quàm præscribat Concilium Tridentinum: & utinam pauciores essent hujusmodi rudes Christiani.

Respondeo 7. nihil obstare, quòd dicantur reperiri in quibusdam Ritualibus Orationes, quas Sinæ recitent ad defunctos: Certum est enim, vel Ritualia illa, respectu Litteratorum esse, quasi apud nos, Hæreticorum libros, qui nullam fidem faciunt; vel (a) ut Reverendissimus Leonissa fatetur, insertas illis fuisse istas preces, à privatis, absque authoritate publica. Unde privatus est aliquorum error & superstitio, non communis. Standum ergo libris classicis, & quidem genuinis, qui manibus omnium teruntur, ubi ista sunt prohibita.

Dixi *genuinis*, hoc est, emendatis, & juridicè recognitis. Nam *affirmant docti inter Sinas Interpretes, irrepsisse quædam etiam in libros classicos aliquorum malitiâ, quæ aliena sunt & apocrypha,* (a) *Propterea,* inquit P. Philippucius, *litteraria Sinensium respublica multos habet & graves Censores, qui libros classicos*

(a) *In suis responsis.*

(a) *In suo præjudic. cap: 2. art: 2. pag: 14.*

classicos & cæteros, erudité & acuté examinant, & genuina loca à supposititiis discernunt: ideòque in citandis Sinicis textibus magna uti cautelá necesse est, ne graviter erremus. De hac materia, sic pergit, *copiosus tractatus jam confectus est, & suo loco divulgabitur.*

Tria addo 1 ab adversariis vocari preces, quæ sunt vel orationes solùm panegyricæ, vel vota filiorum aut discipulorum, qui optare se significant, ut, si fieri posset, Magistri adessent, vel Parentes. 2. Persuasum esse Sinis, Imperij, & familiarum felicitatem pendere ab obedientia, quam Imperatori præstant subditi, Parentibus filii, discipuli Magistris, uxores Maritis, &c. Obedientiam autem illam erga vivos conservant in Imperio, & in familiis studium illud, & consuetudo mortuis obsequendi adhuc, quasi essent superstites. Unde felicitas illa, quæ dicitur, illis sponderi post justa Parentibns suis persoluta, illis promittitur tanquam suæ obedientiæ effectus, non autem ex merito defunctorum. 3. Deinde superstitionis erit nihil, si ob exhibitum suis Parentibus grati animi obsequium, uti & ob elemosynam egenti porrectam, sperent à *Xamti*, seu à Deo Optimo, Maximo, cui ista placere non dubitant, præmium aliquod temporale.

Respondeo 8. Rev: Dominum Maigrot, si fingat Litteratos à Confucio, vel à Majori-

bus sperare aliquid, vel petere, sibi ipsi contradicere; cùm repetat continuò Litteratos omnes esse Atheos, tam antiquos, quàm modernos. Qui enim negant Deum existere, animas non credunt immortales, ideóque nec petere ab illis quidquam possunt, nec sperare, nisi insaniant: ac proindè nec ut sanctos, nec ut Deos, Sinæ colunt Confucium, aut Majores, in hac Reverendissimi sententia.

Respondeo 9. P. Joannem de Paz Dominicanum, ut patet ex ante dictis, non solùm affirmare tanquàm certum, quòd in China nulla Confucio tribuatur divinitas, sed etiam quòd non credatur potestatem habere humanâ superiorem, (a) *Hæc ratio,* inquit, *ostendit, quòd nec communi acceptione, nec lege regni detur Confucio cultus religiosus: neque divinitas, neque potestas aliqua ei attribuatur....* *Forsan aliquis nostrûm Deum existimat Confucium, aut in eo potestatem hominibus auxiliandi fatetur?* Sic in risum effusi Sinæ protestanti Christiano responderunt.

Respondeo 10 Patrem Semedo antiquum Missionarium sic loqui de cœremoniis solemnioribus, quibus Sinæ suos colunt Progenitores. (a) *Istæ,* inquit, *oblationes, seu cœremoniæ, non sunt propriè dicta Sacrificia,* quæ

(a) *folio* 199.

(a) *part:* 1. *c.* 19. *pag:* 121.

quæ offerunt Sinæ suis Majoribus; illos enim nec ut Deos habent, nec ut Sanctos. Sunt itaque solùm demonstrationes gratitudinis, & reverentiæ, quas debere se putant iis, à quibus vitam accepêre. Nota illas voces: *Illos nec ut Deos habent, nec ut Sanctos.* Excludunt enim Idololatriam, atque superstitionem.

Respondeo *II.* Reverendissimum à Leonissa, quem pro se Romæ pugnantem jactant Jesuitarum Adversarii, sic tamen esse locutum de communi Sinarum fide circa Confucium Philosophum, in suis ad Eminentissimum Cardinalem Casanate responsis, ut quæ in hac quæstione præliminari probantur, suo calculo validissimè confirmet.

Postquam enim hic affirmavit aliam esse Litteratorum sectam in China, aliam Idololatrarum, duo addit. 1. Atheos (vult autem Dominus Maigrot Litteratos omnes esse Atheos) non agnoscere veram sanctitatem, hominemque, dum moritur, totum juxta illos prorsùs interire; ac proindè etsi in Confucio agnoscant, dum viveret, quasi exemplar virtutum omnium (utique moralium) nihil tale de illo mortuo jam credere.

„ *Non riconoscono Santità per che sieguono la dottrina Ateistica, e pensano che morendo l, huomo tutto finisce Riconoscono questi in Confucio un aggregato di*

,, *tutte le virtù per il tempo che visse, e*
,, *non più.*

Hic nota, Litteratos, de quibus solùm in præsenti causa agitur, non modò nihil Numinis in Confucio colere juxta Reverendissimum à Leonissa, sed ne veram quidem Sanctitatem, quàm nimirùm ex eodem Reverendissimo non agnoscunt, Imò qui sunt inter Litteratos Athei, si Reverendissimo credimus, colunt solum eas virtutes, quas olim habebat, dum viveret; rati nihil nunc temporis superesse de Confucio. Quàm sint ista contraria iis, quæ Dominus Maigrot, & Dominus Charmot continuò ad nauseam repetunt de fide Litteratorum circa Confucium Philosophum: nemo est, qui non videat, si eorum scripta legerit; nemo, qui videndo non indignetur.

Hoc secundo loco dixit Reverendissimus à Leonissa, *privatos aliquos inter Idololatras, Confucium quasi idolum colere*, non palàm quidem nec ubique, sed clàm solùm, & alicubi, sine authoritate publica, & contra communem Imperii fidem: & ne hoc quidem affirmat tanquam certum, sed solùm dicit hoc sibi videri
,, *Mi pare che i Gentili veramente Idololatre*
,, *riguardano Confucio com un di loro Dio,*
,, *benche en publico, e con autorità publica*
,, *non sia frà quelli numerato, mà solo con*
,, *privata autorità da questo, o da quello in*
,, *questo,*

„ *questo, ò en quel luogo con authorità pri-*
„ *vata .... è contra il commune del Impe-*
„ *rio per averlo impedito la sett a Littera-*
„ *ria.*

Constat igitur illo Reverendissimi testimonio, quod unum in hac quæstione præliminari volumus, nempè juxta communem Imperii fidem, maximèque Litteratorum, nec ut Deum, nec ut Sanctum, utique verâ Sanctitate, coli Confucium in China; multò minùs Progenitores mortuos, tot gradibus ipsi Confucio inferiores.

Nam quòd privati aliqui ex errore vel malitia aliter sentiant, vel agant, hoc nihil omninò juvat Jesuitarum adversarios, ut jam antè probatum est, & clariùs infrà videbitur.

Respondeo 12. Enumerari singulos ritus erga Confucium, & Progenitores in tractatu speciali, explicarique accuratissimè ab antiquis, ac Sinicè doctissimis Missionariis: unde constat adhuc magis, hujusmodi ritus non modò esse idololatricos, sed ne superstiosos quidem, saltem quoad substantiam; quod unum Roma postulat, ut permitti possint, qui sunt innocentes, superstitiosis omnibus sublatis, juxta Alexandri VII. Decretum.

Hæc est, Vir nobilissime, quæstio præliminaris Jesuitarum Apologiæ, de qua priùs tractatum verò, cujus ibi fit mentio, ubi pri-

mum habuero, ad te illicò transmittam. Advertes in eo legendo, ritus ac cæremonias plerasque omnes, quibus Sinæ Confucium, ac Progenitores colunt, adhiberi quoque ab illis ad colendos homines viventes; vocem *Xim*, quâ Europæi utimur ad exprimendam veram sanctitatem, q am ex Reverendissimo à Leonissa Sinæ non agnoscunt, habere in China magnam in significando latitudinem: sumi imprimis erga Confucium pro significanda ejus sapientiæ, seu doctrinæ præstantia; non dici tabellas *sedes animæ*, nisi improprie, ac metaphoricè; quatenùs nomen Confucij, sive Parentis mortui, in his tabellis descriptum, ibi pro Confucio, seu Parente mortuo supponit, eorumque memoriam, quasi essent præsentes, excitat; neque jejuniis, neque abstinentiæ à conjugibus, finem religiosum semper præscribi; imò sæpè valde humanum, naturalem, aut politicum, in luctu, puta, publico. Jejunatum olim à multis in China, antequam venirent ad Imperatorem pro tributis persolvendis; occisa à Lanionibus, non à Sacrificulis animalia, pridie solemnitatum erga Confucium, aut Progenitores, non magis esse victimas, quàm quæ ab iisdem Lanionibus ad fores Mandarinorum honoris ergò occiduntur, & pro more Regionis illis offeruntur, dum in Provincias adveniunt; oblatum semel sericum ideo comburi,

buri, quòd hinc lege præscriptum sit, coli regiis honoribus Confucium, inde verò constet, vestes regias inservire nemini unquam posse, quàm Regi.

Explicatos in eodem tractatu videbis sigillatim alios ritus; ad quos dum in mortuorum cæremoniis superstitiosum aliquid accedit, prohibetur illud Christianis, qui etiam contrà protestantur, cùm opus est, juxta Alexandri VII. Decretum. Et verò non ignoras, Vir Nobilissime, ritus externos plerosq; esse de se indifferentes, ad hoc ut religiosi fiant, vel politici; determinandosque ut plurimum ab objecto, vel intentione, in illis maximè Regionibus, ubi nondum introducta Lex divina, hos non alligavit ad religiosum cultum. Quin etiam apud nos eadem reverentia exterior exhibita Deo, vel Regi, fit religiosus cultus, vel civilis. Idem ritus, qualis est, thus adolere, exhibetur Christo, & Viro nobili, sive probo, sive improbo; exhibetur & Cænotaphiis, etiam in templis nostris.

Quare, mirum videri non debet, si contingant apud Sinas hujusmodi multa, quæ etsi apud nos sunt religiosa, mere ibi sint politica. Hoc unum est summi in hoc negotio ponderis & momenti, quòd in China Confucius solùm ut Imperii Magister ob doctrinam, Progenitores ob vitam ab illis acceptam, præ-

scriptis dudùm ritibus ita colantur, ut nihil Numinis Sinæ in illis agnoscant, nullas supra naturam dotes, juxta communem Litteratorum persuasionem, ac fidem; parati eosdem adhibere ritus, sive probi fuerint Majores, sive improbi.

Hæc cùm attentè legerem, vel in quæstione præliminari, vel in priùs citato tractatu, continuò occurrit, quod Libello supplici Apostolicæ Sedi oblato solidè probatum ac conclusum invenies; nullum quippe in ritibus illis adhibendis, jam apparere respectu Christianorum, nec proximum, nec remotum periculum, sive Idololatriæ, sive superstitionis, nec materialis quidem. Sic autem illud efficitur.

Constat I. per se licitum esse, cultu civili, juxta consuetos locorum ritus, colere Parentes mortuos, & Imperii Magistrum.

II. Certò constat ritus illos, qui per se mihi liciti sunt, non posse fieri mihi illicitos, & idololatricos, nisi vel ex mea, vel ex aliorum intentione perversa, & idololatricâ, quâ vel ego, vel alii intendamus aliquid v. g. Numinis, aut supra naturam in Confucio colere, vel in Parentibus.

III. Certò constat Christianos Sinas nihil agnoscere Numinis, aut supra naturam, nec in Confucio, nec in Majoribus suis: ergo ritus

go ritus illi per se Christianis liciti, *jam non* fiunt ex perversa illorum intentione idolatrici.

IV. Certò constat, ritus eosdem per se licitos, non posse fieri tespectu Christianorum idololatricos, ex occulta tantùm & interna Sinarum Idololatria; hæc enim, eò ipso quòd interna solùm est, nocere non potest, nisi ipsis Idololatris; nec mutare exteriùs statum Confucii, & Progenitorum, nec physicè, nec moraliter.

V. Certò constat, per externam etiam, at paucorum Idololatriam, sive superstitionem, non posse aliquem palàm constitui, respectu omnium, in ratione Idoli; nec proindè vitiari, & infici, licitos per se mihi ritus, erga Confucium v. g. & *Progenitores*,

Inventi sunt, qui colerent B. Virginem tanquàm Numen; non potuit hæc illorum malitia, vel ignorantia, vitiare cultum per se legitimum, quo Fideles Beatam Virginem venerantur.

Est indubitatum, reperiri aliquandò Catholicos rudes, qui aliter, quàm præscribat Concilium Tridentinum, sacras Imagines colunt: quis illorum superstitione putet verum infici cultum Imaginum? Pari modo, etsi inter Sinas invenirentur nonnulli, qui in Confucio, vel in Majoribus, ex ignorantia, vel ex malitia, di-

vinum aliquid colerent, quamdiù constabit, ut certò constat ex præliminari quæstione, nullam in China tribui Confucio Numinis partem, juxta communem Sinensium fidem, maximèque Litteratorum; tamdiu poterunt Sinæ Christiani, cultu civili & politico honorare Confucium, ut Imperii Magistrum, sine ullo periculo, vel remoto Idololatriæ, ne materialis quidem. Quod dicitur de Confucio, potiori jure debet dici de Maioribus, quorum nullus est juxta Sinas huic Philosopho conferendus.

VI. Ut fierent ergò mihi illiciti ritus illi, deberet quasi publica authoritate constare, Sinas aliquid Numinis communiter jam agnoscere in Confucio, & in Majoribus suis, vel potestatem humanâ majorem. Quamdiù igitur id non constat, tamdiù possum uti jure meo: tamdiù, respectu mei, ritus illi remanent civiles ac politici, ideòque per se liciti, ac proindè neque formaliter, neque materialiter idololatrici.

Jam verò manifestum est, non constare, quòd in vasto illo Imperio, juxta communem Sinarum fidem, ac persuasionem, Numen habeatur Confucius, multoque minus Progenitores mortui. Imò contrarium tam certò constat, ut Dominus Charmot gravissimè conqueratur,

(a) *Hist: cult: Sin: pag: 298.*

ratur, se, suùmque Reverendissimum, falsò accusatos esse, quasi illud ipsum affirmâssent, (a) *Nusquam dicimus*, inquit, *Confucium coli in China ut Deum, Majores coli ut Numina.*

Certò igitur constat, quòd juxta communem Sinarum fidem, neque Confucius, neque Majores mortui aliquid Numinis habere credantur: ergo non est solùm probabile, sed certum, ritus, quibus in China coluntur, neque formaliter, neque materialiter esse idololatricos: ergò Sinæ Christiani possunt illos adhibere sine ullo periculo, vel proximo, vel remoto Idololatriæ, ne materialis quidem. Addo, neque superstitionis; cùm non minùs constet, Sinas in colendis sive suis Philosophis, sive suis Majoribus, attendere solùm ad doctrinam, quam ab illis, vel ad vitam, quam ab istis acceperunt, sive fuerint probi, sive improbi, ut dictum est. Multò minus illos colunt ob gratiam sanctificantem, aliasque dotes supra naturam à Deo illis concessas.

Ergo constat sententiam de ritibus Sinensium politicis, ac permissis juxta Alexandri VII. Decretum, Christianos Sinas nulli exponere periculo sive superstitionis, sive Idololatriæ, non modò formalis, sed neque materialis.

Ergo constat sententiam illam esse tutam formaliter simul, atque materialiter.

Pergi

Pergit ulterius Author Libelli supplicis; nam contendit eam dici adhuc posse, non modò oppositâ sententiâ tutiorem, sed fortassis unicè tutam, ita ut contraria opinio Evangelii Ministros gravissimis exponat, tam formaliter, quàm materialiter peccandi periculis. Quod ut constet.

Supponit I. Prohiberi non posse in China ritus erga Confucium, & Progenitores, quin claudatur janua salutis & fidei, innumeris planè hominibus. Hoc semper visum est certum Evangelii Ministris, etiam iis, qui prohibendos probant, quia sibi falsò persuaserant hos esse religiosos. Hoc tam sæpè Sinæ Christiani inculcârunt, protestantes, se in die Judicij contra crudelem, imprudentemque eorum zelum insurrecturos, qui propter tam levem causam, tamque nullam, innumeros Sinas ab amplectenda fide removerent, arcerèntque à Baptismo. Id agnoverunt in conventu Cantoniensi *22.* Christi Confessores, apertéque declarârunt. Id jam inde ab initio senserat P. Matthæus Riccius, dum tam clarè exponeret, quantùm his ritibus Sinæ Litterati, ab ipso Imperatore ad infimum quemque, adhærerent. Id hactenus experti sunt Missionarii omnes.

Supponit II. Ecclesiam, Sanctam Sedem, ipsos, quos ad Infideles mittit, Evangelii Ministros, præcepto teneri, non solùm annuntiandi

tiandi Gentibus Evangelii, sed ita annuntiandi, ut quantum est ex se, nullum propagand fidei obicem immeritò ponant. (a) *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hoc Christi præceptum non ligavit solos Apostolos, sed Apostolorum quoque successores, inprimisque successores Petri, quibus Universæ Ecclesiæ cura commissa est, quiqué propterea jam inde ab initio fundatæ à Christo super Petram Ecclesiæ solliciti semper fuerunt, non modò ad revocandas in ovile oves aberrantes, sed etiam ad aperiendam Gentibus ovilis januam, missis quocunque, & in omnem terram, & in fines orbis terræ, divinæ Legis præconibus, qui fidei, ac salutis Evangelium annuntiarent, (b) *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Quomodò ergo credunt ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante? Quomodò veró prædicabunt, nisi mittantur?*

Itaque gravis peccati, contra manifestum illud Christi præceptum, reos illos esse necesse est, non modò qui, cùm teneantur hoc præcepto, observare illud negligunt abjecta prædicandi Gentibus Evangelii omni cura, sed etiam, qui à Sancta Sede ad hoc missi, ex vanis scrupulis & malè fundatis erroribus, pro-

pagationi

(a) *Marc: 16.* (b) *Rom: 10.*

pagationi Sanctæ Legis, magnos interjiciunt obices.

Præterea Lex charitatis erga Deum & proximum eos gravissimè ligat, qui in China, vel in aliis hujusmodi regionibus degunt, Evangelii Ministros, ad procurandam Infidelium, apud quos vivunt, quantum in ipsis est, salutem, cujus fundamentum est fides. Unde in conscientia gravissimè tenentur removere obstacula, illorum infirmitati condescendere, in hoc imitari Apostolos, Sanctos Patres, Summos Pontifices, necessaria solùm ab illis exigere, non perfecta, quæ modò portare non possunt.

Supponit III. Ut abundè suprà probatum, nullum esse in essentia de ritibus politicis, tam solidè fundata, periculum Idololatriæ, sive superstitionis, ne materialis quidem, respectu Christianorum, qui tanquàm regulam sequuntur Alexandri VII. Decretum.

His positis, manifestè patet eos, qui contra sentiunt, clauduntque januam fidei Sinis innumeris, ex vano superstitionis, atque Idololatriæ metu, subire evidens periculum violandæ Legis charitatis, tam erga Deum, quàm erga proximum, in re gravissima; ubi de irreparabili salutis æternæ tot hominum jactura, agitur; necnon transgrediendi ipsius Christi

præ-

præceptum de Evangelio omni creaturæ prædicando.

An verò excusari possint de Legibus istis violatis, qui sic agunt, per ignorantiam invincibilem, sive per aliquam probabilitatem, erit Summi omnium in terra Judicis, ac Patris, post omnia benè ponderata, judicare, ac definire; cùm tam levis sit istiusmodi opposita probabilitas, tam facilè vinci possit hæc ignorantia.

Et verò, qui tantisper attenderit, ad fundamenta istius, de ritibus politicis sententiæ, juxta mentem Sinarum Litteratorum, mirabitur, fidem invenisse jactatas per totam Europam fabulas, de Christianorum apud Sinas Idololatria. Sunt autem hujusmodi fundamenta duodecim, quæ nunc indicare sufficiat, legesque deinceps in Apologia fusè explicata.

Dicunt 1. qui stant pro ritibus Alexandri Decreto permissis, quæstionem illam fuisse diu ac frequenter in China examinatam, in septuaginta, & ampliùs, habitis inter Jesuitas ea de re consultationibus, ante annos quinquaginta; ideòque non temerè jam ex hoc capite definitam.

2. Examinatam ab iis, qui diu vixerant in China, nempe 20. 30. 40. 50. annos.

3. Examinatores illos in Litteris Sinensibus fuisse apprimè versatos, ut ex libris constat quam plurimis, quos idiomate Sinico eleganter

ganter ſcripſerunt, & ſolidè.

4. Doctos aliundè in Philoſophia, & Theologia.

5. Viros magnæ pietatis, Chriſti Confeſſores, & aliquos donis extraordinariis inſignes.

6. Non paucos eſſe iſtiuſmodi homines, unum aut alterum, qui re examinata, ſententiam illam amplexi ſint, ſed multos omninò, ac plures quàm octoginta.

7. Illos non fuiſſe ſolùm è Societate viros, ſed ex aliis quoque ſacris Ordinibus, maximéque Sancti Dominici, nonnulloſque Epiſcopos, & in dignitatè conſtitutos.

8. Inprimis viginti duos Chriſti Confeſſores, pro Chriſto exules, relegatos Cantonem, ſæpéque in exilio pro rebus Sinicis, & præſenti negotio ſimul congregatos.

9. Doctos Sinenſes tam Chriſtianos, quàm Infideles ea de re ſæpiùs interrogatos; juxta ſententiam Societatis reſpondiſſe.

10. Haberi adhuc præ manibus libros Sinenſium his de ritibus tractantes, & probantes, nihil illos in ſua inſtitutione, niſi politicum, ac civile habuiſſe.

11. Levem admodùm, multas ob cauſas & quidē graves, authoritatem eſſe illorum, qui pro oppoſita opinione citantur, à Reverendiſſi-

rendissimo Domino Maigrot, & Domino Charmot.

12. Denique Sacram Congregationem, & Apostolicam Sedem benè informatam authoritate sua confirmâsse ea, quæ potuissent in dubium super ea quæstione revocari.

Sanè, quòd, post tam frequens, tamque diuturnum examen, à tot & tantis viris, variorum Ordinum, & Nationum, maximéque Sinensibus, definitum sit, non coli in China Confucium Philosophum ut Idolum, non coli ut Idola Progenitores mortuos, nihil in illis agnosci supra hominem, supra naturam, ideòque nec veris sacrificiis coli, nec in veris altaribus; sed ritus, quibus coluntur esse merè civiles ac politicos, ac proindè debere omninò hos permitti Neophytis, ne gratis & sine causa sufficienti, janua salutis & fidei claudatur innumeris planè hominibus, quòd, inquam, id ita definitum sit, quæro, num hoc videri debeat esse in Europa moraliter certum veritatis argumentum?

Hæc habui, Vir Nobilissime, quæ tibi breviter exponerem, ut optâsti, de negotio Sinensi: plura leges in Apologia, ubi prodierit: de Jesuitis interim perges, ni fallor, ut antea, benè sentire; de eorum Adversariis, ut voles.

Quod enim Jesuitas Sinenses traduxerint, ut fautores Idololatriæ, ob permissos ritus

tus erga Confucium, Progenitoresque, juxta Alexandri VII. Decretum, jam abundè nosti, ni fallor, factum id ab eis immeritò; cùm sit chimerica, cùm nulla sit, huiusmodi Idololatria: Quantùm autem iidem è Societate in China Missionarii, veram semper Bonziorum Idololatriam abhorruerint, cùm testetur ipse Dominus Charmot, certò constare debet inter omnes. Et verò cùm obiectum ei fuisset, neminem ex secta Idololatrarum omnes Sinensis Imperii (a) Provincias pridem inficiente, ad Christianam fidem esse Jesuitarum opere adductum, quin Idola sua jussus sit ab eis conculcare, frangere, comburere, id ultrò fatetur: *& hoc sensu*, inquit, *verum est, quod jam inde ab initio Societatis Missionarij jusserunt à Neophytis Idola conculcari, frangi, comburi; & quòd ipsimet sæpissimè ea conculcarunt, fregerunt, combusserunt.*

Reverendissimus ipse Dominus Maigrot scribens ad Innocentium Papam disertè affirmat (b) *sine ingenti calumnia dici non posse, ullos esse in China Missionarios, qui in crassam turpemque Idololatriam impingant, aut alios impingere permittant.* Unde sub finem Mandati, quo Alexandri VII. Decretum reformavit, palàm declarat, *se non intendere eos*

(a) *Hist: cult: Sin: Pag: 182.*
(b) *Hist: cult: Sin: pag: 404.*

rè eos culpare, qui aliter anteà censuerunt, aliamve praxim secuti sunt ab ea, quam in posterum sequendum esse statuit. Mirum enim, inquit, videri non debet, si in rebus hujusmodi Missionarij omnes unius ejusdemque sententiæ non fuerint, & eam unusquisque praxim amplexus sit, quæ sibi in Domino magis veritati consona videbatur.

Hinc infertur 1. Vir Nobilissime, Missionarios Jesuitas, jam inde ab initio, bellum apertum, etiam in China, veræ indixisse Idololatriæ, Idola conculcando, frangendo, comburendo: fatentibus hoc ipsorum Adversariis; pro hac destruenda paratos semper fuisse profundere vitam millies; hanc nimirùm & credunt, & docent omni jure prohibitam, naturali, positivo, divino, humano, canonico, civili.

Inferes 2. Qui Jesuitas impugnant, continuò laborare, & fortè laborare velle in æquivoco; quasi tam certò constaret ritus aliquos, v. g. Confucianos, esse idolatricos, quàm certò constat ritus idololatricos esse omni jure prohibitos. Hoc enim secundum naturali lumine tam clarè notum est, ut non possit innocenter ignorari. Primum autem tam parum constat, ut hoc plane falsum esse judicent Sinenses magno numero Missionarii, non è Societate solum, sed ex aliis sacris Ordinibus

quàm

quàm plurimi, & ita iudicent non temerè, sed post immensos in discenda lingua Sinica 30. 40. 50. annos, post longum & accuratum examen, post consultos non modò Sinas tam Christianos, quam Paganos, sed etiam libros illorum classicos, postque adhibitam in quærenda veritate eam diligentiam, quâ vix major excogitari potest. Conveniunt itaque Jesuitæ cum suis Adversariis abhorrendos, execrandos, fugiendos esse ritus idololatricos, tanquam omni iure prohibitos; sed negant, atque pernegant, Confucium in China coli ut Deum, Progenitores ut Numina; negant agnosci in illis veram sanctitatem, aut alias dotes supra naturam illis à Deo concessas, ac proindè negant quoque, ac pernegant, ritus erga Confucium, & Progenitores adhiberi iuridicè, ac communiter in China solicitos, esse idololatricos.

Inferes 3: Vir Nobilissime, hoc præclarè dictum a Domino Maigrot, (a) *non esse culpandos* Sinenses Missionarios, *qui aliter de ritibus illis, ac ille, senserunt, aliamve propterea praxim secuti sunt ab ea, quam in posterum sequendum esse statuit*: nempè quia, ut ait, *eam illi praxim, atque sententiam amplexi sunt, quæ sibi in Domino magis consona veritati videbatur.* Quin etiam addit, *hoc mirum*

(a) *Hist: cult: Sin: pag: 38.*

rum videri non debere, si in rebus hujusmodi Missionarij omnes, unius ejusdemque sententiæ, non fuerint. Censuit igitur Dominus Maigrot res illas esse obscuras: nam videri mirum deberet, si in rebus claris & manifestis Missionarii omnes idem non sentirent.

Inferes 4. Non modo non esse culpandos Sinenses è Societate Missionarios, sed maximè ex illo capite commendandos: Quid enim fieri poterat prudentiùs, quàm in rebus obscuris id sentire & sequi, quod post longum, & accuratum examen visum est magis consonum veritati?

Hinc censebant, etsi ipsa per se veritas certò non pateret, non esse Inquietandos Sinas propter ritus ac cæremonias, quas esse solum civiles tam multa efficiebant, in hoc Sacræ Cõgregationis exemplum secuti. Legebant enim in Decreto 1645. ab Apostolica Sede approbato, ad quæsitum tertium Patris de Morales Dominicani, esse à Sacra Congregatione responsum, *inquietari Sinas non debere, si quid in mutuo supra sortem, non quidem ratione mutui præcisè, accipiant, sed ratione periculi probabiliter imminentis.* At certum est, non esse plusquã probabile, posse in mutuo aliquid accipi supra sortem, ratione talis periculi: id enimverò multi Theologi illicitum putant: etsi ergo probabiliter solùm constaret ritus Si-

nensium, de quibus agitur, esse tantùm politicos, non essent tamen juxta Sacram Congregationem Sinæ propterea inquietandi; quantò minus si probabiliús id constaret, si magis consonum esset veritati: maximè cùm in nostro casu, solùm agatur de quæstione facti, nempe, an ex institutione, & mente Sinarum utique hac de re benè instructorum, ritus illi sint tantùm civiles ac politici, & sit è contrario quæstio juris de usura; an usurarium fuerit, non modò ex intentione operantis, sed ex ipsa rei natura, si quis supra sortem aliquid acceperit in mutuo, ratione periculi probabiliter imminentis.

Respondit tamen Sacra Congregatio non esse inquietandos Sinas Christianos, cùm id præstant, de quo disputatur; an ex natura sua sit malum? modò saltem probabiliter constet non esse malum. Quantò minus sunt inquietandi, cùm adhibent ritus ex natura sua indifferentes, & de quibus solùm quæritur, an ex prava Infidelium intentione vitientur? cùm tam multa præsertim hinc probent non vitiari, & omnino constet aliundè nunquam adhiberi à Christianis, nisi ut civiles & politicos.

Quid si probabile solum non fuerit, sed certum, Confucium non coli in China ut Deum, nec Progenitores ut Numina: nihil in illis supra hominem, nihil supra naturam agnosci, ut

ſci, ut in quæſtione præliminari viſum eſt? Quid ſi quoque certum ſit, prohibitione rituum, magnum opponi obicem Sinarum converſioni?

Quid ſi iſta Jeſuitarum Sinenſium ſententia, non modo ſit evidenter, oppoſitâ opinione probabilior, tam ab intrinſeco, quam ab extrinſeco, ut hoc fusè probat P. Dominicus Sarpetri, Dominicanus: ſed ſit etiam tutior, & fortaſſis unicè tuta?

Quid ſi Adverſariorum opinio magno periculo eos exponat graviter peccandi contra Legem divinam, naturalem & poſitivam? Fallor, ni ſentias cum Jeſuitis Sinenſibus; ni judices inhærendum eorum praxi; ni commendes Alexandri Papæ prudentiam, atque æquitatem ipſius Decreti.

Inferes 5. non modo non eſſe culpandos Sinenſes Miſſionarios, qui ita ſentiunt, ſed nec Chriſtianos Sinas, qui edocti á pueris, Confucium non coli in China ut Deum, nec Progenitores ut Numina, pergunt adhibere ritus patrios, diligenter obſervando, quidquid Alexandri VII. Decretum præſcribit. Unde juſtam habent cauſam conquerendi, quòd in Epiſtola ad Papam Reverendiſſimus affirmet, *dubitari meritò poſſe, an qui ſunt in China Chriſtiani, feré omnes non ſint Idololatræ?* Sanè ſi ita eſt, alterutrum neceſſe eſt

 conſite-

confiteri, vel Sinas Christianos esse ferè omnes Jesuitarum Neophytos, vel si multos habent quoque Neophytos alij Missionarij, quoad praxim eadem illos sentire cum Jesuitis, & eadem permittere. Sed quàm sæpè contradictoria loquantur in hac causa Jesuitarum adversarij, qui leget Apologiam, mirabit..., vix credet.

Nosti ergo, ni fallor, Vir Nobilissime, quanta sit gravitas hujus causæ; quid in ea propugnanda intendant Jesuitæ; quâ conditione pugnent ex utraque parte contendentes; quàm certò constet Confucium non coli in China ut Deum, non coli Majores ut Numina; imó neque ut sanctos coli, neque ut habentes potestatem humanâ majorem: sed illum, ut Imperij Magistrum ob doctrinam; hos, ut Progenitores ob vitam ab illis acceptam; ac proindè ritus, quibus, pro more patriæ, hi coluntur, neque Idololatricos esse, neque superstitiosos quoad substantiam, ac proindè adhiberi meritò posse, quos decretó suo permisit, post accuratam hujus rei inquisitionem, Alexander Papa VII. sublatis, ut ait, superstitiosis, qui decursu temporis potuerunt accedere, aut factâ protestatione, cum Gentiles his ritibus superstiosos admiscent. Imò sponte dabis, nullum in cæremoniis illis adhibendis jam apparere respectu Christianorum,

nec

nec proximum, nec remotum periculum ſive Idololatriæ, ſive ſuperſtitionis, ne materialis quidem; cumque aliunde ſatis conſtet prohiberi non poſſe dictos ritus in China, quin claudatur innumeris Sinis Evangelij janua, & ideo qui illos prohibent, exponere ſe periculo pariter peccandi contra Deum & proximum; cum ſine cauſa ſufficienti videantur illos prohibere: facilè, ut ſpero, concedes ſententiam Jeſuitarum de ritibus Sinenſibus, non modo longè probabiliorem eſſe, longè magis conſonam veritati, longè veriorem, ſed ſimul eſſe quoque tutiorem, & fortaſſis unicè tutam. Hoc ſufficit. Vive, & Vale.

Ad M. D. G.